

Θέσως καὶ Ἀντιθέσεως διὰ κατὰσκοπῆς  
καὶ ἀνασκοπῆς

De

FIDE INFAN-  
TIUM ACTUALI BRE-  
VIS ET ORTHODOXA  
DISCUSSIO,

In incluta VVittebergensi Academia publicè  
proposita;

PRÆSIDE

*Plurimum Reverendo, Clarissimo nec non Excellentissimo  
VIRO, DN.*

JOHANNES HULSEMANNO,  
SS. Theologiæ Doct. ac Prof. Publ. Alumnorum  
Electoralium Inspectore meritissimo, &c.

RESPONDENTE

M. BENEDICTO TEUPITIO,  
p. t. Scholæ Jütreb. RECTORE.

*Ad diem 26. Augusti in Auditorio Majori,  
horis ab 8. matutinis.*

WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typographicâ MICHAELIS Wendt  
ANNO M DC XLIII.

diss. A  
12

57. A. 183 (12)

*Amplissimis, Consultissimis, Virtute, Doctrina,  
Longoq; rerum usu Præstantissimis Viris,*

**Dominis Consulibus, cæterisq;** Reipublicæ Jütrebocensis Senatoribus  
vigilantissimis, Fautoribus ac Promotoribus  
suis singulari studio, pietate & observantia colendis,




*Διότιον* hanc Theologicam

In honoris, gratitudinis debitæ, studiorumq;  
suorum testimonium, eâ, qua par est,  
animi submissione dedicare voluit

**M. Benedictus Teupitius,**  
p. t. Scholæ patriæ Rector,  
Auctor & Respond.

1777



(21) 281 A. 140

ΕΙΣΟΔΙΟΝ.

I.



Um præfens συζήτησις, utrum infantes baptizati actu credunt, ad machinas farinarias vulgo minus utilis videatur, uti loquitur Subtilitatum Magister. Exerc. 307. f. 3., ejus causas in foro theologico agere, complures, quos justissimo jure cum eodem, Exerc. 321. f. 4. brutis ignaviora monstra nuncupaveris, putant esse χειροτερεῖν, aut ut Philosophorum Phœnix Aristoteles i. Metaph. 7. tradit, κενολογεῖν καὶ μεταφορὰς ποιητικὰς λέγειν.

II.

Nos Sophistas illos inertes Scheg. in Com. Lib. 3. de anima, qui otio, supinitate, aut flagitiosâ licentiâ marcentes scientias cōtemnunt titulô curiositatis, parùm aut nihil morati, quæstionem laudatam disquisitionis aleæ subjicimus, indubiâ spe freti, fore, ut hæc aliquando non tam ad machinas farinarias, ad domos, areas agros &c. comparandos, quàm Salutem tenerrimis Christi membris vindicandam faciat.

III.

Plurimum enim certè emolumentum ex illâ ad nos redundare, vel illud maximum est argumentum, quod eâ simul firmiter demonstramus i. Baptismi efficaciam contra Calvinistas. 2. Veritatem & Unitatem imputativæ justitiæ contra Papistas. 3. Pædobaptismum contra Anabaptistas.

IV.

Ut ergò, quod intricatum, extricemus, quodq; perplexum est, in juktum ordinem redigamus, sententias horum hæreticorum, quas singuli in fidem infantium eructant & evomunt, præmittemus, præmissas prosternemus, & prostratis orthodoxorum mentiē, seu ipsam ὀρθοδοξίαν subnectemus.

V.

Cui si indubitatum fecerimus fidem luculentissimis Scripturæ

Sacræ oraculis, infallibilissimis ejusdem fundamentis, verisimillimis exemplorum suffragiis, & præclarissimis Patrum, Orthodoxorumq; testimoniis, facile erit Adversariorum Antithesin eludere.

VI.

Id quod dum non sanè *Φιλοεικίας*, sed *ἀληθείας* ἕνεκα suscipimus, quandoquidem *Ὁ Θεὸς ἀληθὴς ἐναντία μάλισμα φαίνεται*: ardentibus votis eum invocamus, qui est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria, ut pio huic conatui successum concedat exoptatum, ad nominis sui semper gloriosi gloriam, & nostram ædificationem.

Dehinc sequitur ipsa tractatio.

VII.

Ad Calvinistas igitur quod attinet, ut primò eos aggrediar, non mirum est, inter illos multa opinionum divortia esse de fide infantium actuali, siquidem fortissimus ille Calvinisticæ cohortis Achilles *Beza 2. part. Resp. ad act. Colloq. p. 98.* apertè fatetur, quod hoc problema sit ex eorum genere, in quibus ex parte variare sententiis, salvo nihilominus orthodoxæ fidei fundamento, licet.

VIII.

Unde ipse loco citato scribit: Cum ad *infantes* pertinere regnum cœlorum disertè dicat Christus, & sanctos eos esse pronunciet Apostolus, hinc rectè & necessariò concludi videtur, infantibus tribuendam esse veram illam fidem.

IX.

Contrà longè aliter sentit *Vol. 1. f. 333.* ubi inquit: verisimile est, infantem fidem ipso actu non habere, sed duntaxat ejus semen. Cui calculum suum adjicit *Bucanus in instit. l. 29. quest. 20. p. 303.*

X.

Ab his dissentit *Zwinglius Tom. II. f. 92.* hæc tradens: Qui probare vellet, *infantes* habere fidem, laterem lavaret.

XI.

*Petrus Martyr in Locis fol. 1533.* hæc de infantium fide prodit verba: Scio nonnullis & quidem non contemnendis hominibus visum fuisse, *infantes* fidem habere, quasi *DEUS* mirabiliter atque  
ultra

ultra naturæ cursum in eis operetur. Quorum ego sententiam ut  
veram fatear, non adeo facile amplector, non quod Deo impossi-  
bile iudicem &c: sed cum scriptura sancta mihi non dicat, parvu-  
los credere, aut ista miracula in illis fieri, neque id videam esse ne-  
cessarium ad eorum salutem: iudico satis esse, ut statuatur, qui ser-  
vandi sunt, eo quod per electionem & prædestinationem ad pecu-  
lium Dei pertinent, Spiritu Sancto perfundi, qui radix est fidei, spei,  
charitatis & omnium virtutum, quas postea exerit & declarat in fi-  
liis Dei, cum per ætatem licet.

XII.

Eidem ferè subscribit *Calvinus l. 4. instit. c. 16. sect. 19.* ubi ait,  
se malle hanc quæstionem in suspenso relinquere, quam temerè  
aliquid affirmare.

XIII.

*Benedictus Aretius part. 1. prob. p. 596. docet:* præsumptuo-  
sum esse, fidem infantibus negare: neque tamen vult affirmare.

XIV.

Ab enumeratis sententiis divortium facit *Ursinus*, qui affir-  
mat pag. 423. infantes habere fidem potentiâ & inclinatione, ta-  
meti nondum actu. Plura de hac re legere licet. *Tom. II. Sob.*  
*pag. 793.*

XV.

Ex quibus ultrò emergit, calvos illos inter se fraterculos mi-  
nimè convenire, sed partim negativam sententiam tueri: partim  
*ἐπίχειν*: partim semen fidei infantibus vendicare: partim deni-  
que statuere, quod infantes potentiâ & inclinatione, non verò a-  
ctu credant.

XVI.

Quibus negativa sententia arridet, ipsi Christo infantium fi-  
dem disertissimis verbis solidanti obloquuntur: immò innumeris  
se se implicant absurditatibus, id quod egregiè *Triunius* Numinis  
adjutu in subsequentibus liquebit.

XVII.

Qui largiuntur aliquem hinc posse *ἐπίχειν*, ipsis ineptit erudi-  
ta Christi lingua, quam ei Dominus dedit *Esaiæ L. 4.* adeòque re  
A 3 ipsa

ipsa comprobant, justificandam esse sapientiam à filiis suis *Matth.*  
*XI. 20.*

XIIX.

Nec unius titivilitii est, quod Bezae cum suis gregalibus in infantibus sufficiat semen vel radix fidei. Quia enim sacris nullibi edocemur literis, nos vel semine, vel radice fidei justificari, aut Christi beneficia applicari, pari facilitate destruitur, qua astringitur.

XIX.

Ejusdem futilitatis est & illud cavillum, quod nonnulli concedant, infantes quidem habere fidem, verum non actu, sed potentia: perinde enim est, ac si dicerent, infantes vivunt, sed non actu: Quasi quis rectè dicatur credere, qui actu non credit, hoc est, qui actu fidem non habet. Taceo, justificationem non absolvi, ut quis potentia fidei præditus sit, seu ut credere possit, sed requiritur ejusmodi fides, quæ re ipsa & actu fides est.

XX.

A Calvinianis ad Pontificios transeo arbitantes, tametsi infantes non habeant fidem propriam actualem; neque etiam novos motus & inclinationes distinctas à fide; non tamen justificari sine fide, idq; primò propter habitam fidei, spei & charitatis in baptismo infusum. Secundò, quia præter hunc habitum dicuntur etiam actu credere, duplici sensu, 1. quatenus actu baptizantur. 2. quatenus credunt alienà fide. De quibus plura adinvenies, in *Bellarmin. lib. I. de Baptis. c. XI. Greg. de Valent. l. de bapt. parvulorum c. III. in colloq. Ratisb. sess. 13. Franc. Suarez. Tomo IV. Thom. p. 2562. & Becani manuali controver. lib. II. c. 2. p. 323.*

XXI.

Hi ut infantibus habitualem fidem concedunt, eandemque omnibus viribus propugnant, licet terminus iste scripturam planè fugiat, neque uspiam in sacrosanctæ Scripturæ codice extet, infundi in baptismo infantibus habitum fidei, spei, charitatis; Ita Sociniani & Anabaptistæ eò prolabantur impudentiæ, ut infantes omnes fide privent superciliosè, quasi insolentes isti homines sint preciosæ istæ animulæ, quæ solæ DEO verà fide adhæreant. Hinc *Socinus in lib. de statu primi hominis p. 311. in hæc prorumpit verba:*  
Infan.

Infantibus fidem ad Deum attribuere, prorsus ridiculum est, & ægrotantis somnio simillimum. Confer plura in *Colloq. Franckemb.*  
XXII.

Enumeratis Adversariorum sententiis, jam è diverticulo devenimus in viam Orthodoxorum affirmantium, infantes ad actum baptismi credere.

XXIII.

Ut verò eò dilutius, quod sentiant, prodant, nec imperitorum oculos, polyporum in morem, fallant, duplicem constituunt modum, quo Deus fidem operatur, pro duplici subjectorum respectu, videlicet eorum, qui audire possunt, & eorum, qui audire non possunt.

XXIV.

Apud eos quidem, qui audire possunt, DEUM omninò mediatè per verbum, neque immediatè fidem operari, secundum illud Apostoli. *Rom. X. 17.*

XXV.

Apud eos verò, qui vel rationis usu prorsus sunt destituti, aut saltem ætatis infantilis ratione eà carent: aut quibus organa læsa sunt, ut surdis & mutis ex utero matris interdum accidere solet: statuunt, Deum etiam alià & nobis ignotâ ratione fidem per Spiritum Sanctum in cordibus illorum accendere posse & solere.

XXVI.

Sicuti non desunt exempla eorum, qui ab utero matris surdi & muti, verbum sanè audire non potuerunt: apud quos tamen per nutus & gestus deprehensum est, ipsos salutiferâ Salvatoris agnitione, quantum saluti sufficiebat, non caruisse.

XXVII.

Quod certè ipsos ex naturalibus puris haurire potuisse, in theologia absurdissimum est: quia verò in illis opus Spiritus Sancti manifestè apparuit, rectissimè dicunt saniores Theologi, alio modo, & sine auditu externo, hæc illos accepisse, & proinde non simpliciter omnem fidem ex solo auditu esse.

XXVIII.

Postmodum asserunt, fidem esse opus DEI in cordibus nostris, quod

quod non oculis subjiciatur cernendum, sed veram Fidem à solo Deo in cordibus hominum cognosci, licet à nobis non cognoscatur.

XXIX.

ΘΕΣΙΣ confirmatur.

Ejusmodi fidem infantibus baptizatis inesse, sole, qui in ipso coruscat meridie, clarius apparet.

XXX.

I. Scripturae sacrae oraculis.

I. Ex Scripturae sacrae oraculis, quae disertè attestantur, infantes baptizatos credere.

XXXI.

Horum primas tenet illud Christi καρδιογνώσις: Quicumque humiliaverit se, sicut Parvulus iste, scilicet qui in medio status fuit, hic est major in regno caelorum. Et qui susceperit unum Parvulum talem in meo nomine, me suscipit. Qui autem scandalifaverit unum de Pusillis istis, qui in me CREDUNT, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo ejus, & demergatur in profundum maris.

XXXII.

Secundo loco ponimus illud Apostoli Gal. III. 27. Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Locus hic ut agit de dignitate & efficacia baptismi, qui non tantum est nota professionis, sed signum quoque gratiae, qua regeneramur & effici-mur membra Christi; ita ex eo non minus verè, quam scitè infantium fides evincitur.

XXXIII.

Cum enim Apostolus inquit: Christum induistis, Fidem per baptismum conferri docet, id quod fusiùs elucet ex phrasi Christum induere, quae duplicem potissimum induitionem, videlicet internam & externam importat.

XXXIV.

Interna fit per Fidem, quando Christi justitiam, sapientiam & innocentiam verà apprehendimus fide, quibus tanquam ornatu spirituali consistimus in conspectu DEI *Esaiæ L XI. 10. Marc. XVI. 16.* Externa verò fit per imitationem, quando nimirum virtutes ejus, utpotè patientiam, lenitatem, caritatem imitamur. *Rom. XIII. 10. 11. 12. 13. 14.*

Cum



## XXXV.

Cum itaque de priori indumento hinc loquatur Apostolus :  
**INDUISTIS**, id est, fide in Christum estis facti filii DEI, ornati ipsius  
 justitia & innocentia, in hunc modum argumentamur :

Quicumque Christum induit, in eum quoque credit.

Infantes baptizati Christum induunt.

E. infantes baptizati in Christum quoque credunt.

## XXXVI.

Ubi & breviter notandum, quam falso nobis impingatur ab  
 adversariis, nos nimirum ante baptismum infantes habere fidem  
 arbitrari, cum tamen per baptismum fidem conferri juxta laudatum  
 Apostoli aphorismum doceamus & confiteamur.

## XXXVII.

Verum ipsi videant, qui non in casses nobis objectos inci-  
 dant, Christianorum liberos ante Baptismum, veletiam omnino  
 non acceptum, sanctos proclamando.

## XXXIIX.

Minimè quidem inficiamur, infantes fidem habere & crede-  
 re posse ante perceptum baptismum, per extraordinariam Spiritus  
 Sancti operationem. Sed cum controversia hæc, an omnes & sin-  
 guli infantes ipso actu ante baptismum credant, expers sit testimo-  
 nii divini, nec ulla de hac re extet promissio, quæ omnino requiri-  
 tur ad fidem rei dubiæ faciendam, integrum nobis non est, certi  
 quicquam affirmare.

## XXXIX.

Beato Luthero qui obstrepunt, ac si ille in Postillis Ecclesiasti-  
 cis super *Evang. Dom. 3. Epiph.* docuisset, infantes baptizandos ante  
 baptismum credere & fidem secum afferre, faciunt næ intelligendo,  
 ut minùs quam nihil intelligant. *Bellarminus lib. 1. c. 10.*

## XL.

Si enim verba ejus ad veritatis dioptram revocaverimus &  
 paulò accuratiùs introspexerimus, in isto loco ex hypothesis contra  
 Pontificios disputavit, qui perfricta fronte infantes in fidem Ecclesiæ  
 absque propria fide baptizari perhibebant.

## XLI.

Adversariis confutatis ex propriis principiis & imprimis ex  
 B hác

hac formula interrogandi credisne? ostendit, si infans in actu baptis-  
mi prorsus propria fide destitutus sit, falsò Patrinos nomine infantis  
respondere, quod credat.

XLII.

Deinde verum damus, quod B. Lutherus asseruerit, infantes  
fidei per preces piorum participes fieri posse ante baptismum, sed  
quod eam semper & necessariò ante baptismum ipso actu assequan-  
tur, non expressis, nec categoricis verbis determinavit, verùm ad  
ipsum baptismi actum propriè sic dictum retulit.

XLIII.

Unde contra Waldenses instans sic conclusit: Necessum est, ut  
fides, si non ante Baptismum, tamen in ipso actu Baptismi adfit, si in-  
fans à Diabolo & peccato liberari debet, quid enim opus erat corre-  
ctiva hac locutione; si infantes semper necessariò fidem ante bap-  
tismum habere statuisset? Et rursus: Quapropter hoc dicimus & sic  
concludimus, infantes ipsos in baptismo credere, & propriam fi-  
dem habere, quam Deus in ipsis operetur, per preces Patrino-  
rum, qui illos ad baptismum adducunt.

XLIV.

2. II. Sententiæ assertæ indubitata conciliatur fides in fallibilissi-  
Scripturæ sa-  
cre funda-  
mentis. mis Scripturæ fundamentis, in quorum numero etiam pertinet (α)  
πολυθρηνητων illud Apostoli: Sine fide est impossibile Deo place-  
re. *Hebr. XI. 6.* Infantes baptizatos DEO placere, vel inde liquet,  
quia nos converti & assimilari infantibus jubetur. *Matth. XVIII. 3.*  
*Marc. X 1. 15.* *Luc. XVII. 17.* vel quia ex infantium & lacten-  
tium ore sibi præparavit laudem. *Psal. VIII. 3.* E. omninò fidem  
habeant necessum est.

XLV.

β. Circumcisio infantium in Veteri Testamento. Certum est,  
DEUM puerulos octiduanos in foedus gratiæ suæ per circum-  
cisionem recepisse *Genes. XVII. 11.* Nec unquam homo sanæ  
mentis inficias ibit: Omne quod non sit ex fide, peccatum esse, *Rom.*  
*XIV. 23.* Aut igitur necessum est fateantur Anabaptistæ, infantulis  
circumcisis fidem nò defuisse, aut sine fide, & sic absq; regeneratione,  
renovatione & justificatione salvatos esse, nisi forte (quod procul du-  
bio occultè in pectore foveant, profiteri autem tam crassè nò audent)

CUM

cum Papistis statuere potius velint, Sacramenta conferre salutem ex opere operato.

XLVI.

γ. Res salva est ex actuali possessione regni cœlorum, quam ipse Salvator exertis verbis infantibus vendicavit inquiring: Talium est regnum cœlorum *Luc. XVIII. 17. Marc. X. 14. 15. Matth. XVIII. 23.* Quando igitur infantes actu possident regnum cœlorum, actu etiam credant oportet, quia consequens non ponitur, nisi positum fuerit antecedens. Sed prius est ratum. E. & posterius. *Job. III. 18. Marc. XVI. 16.*

XLVII.

δ. Nemo ignorat nec is, qui à primo limine quasi Biblia sacra salutavit, duas haberi classes hominum, juxta sententiam Christi *Marc. XVI. 16.* Infantes itaq; baptizatos aut annumeres credentibus, aut non credentibus, tertium enim genus non datur. Si credentibus, omninò fidem habebunt: nullus enim credere dicitur, nisi qui fidem habeat. Si non credentibus, necessariò omnes infantes baptisati ante ætatem adultam decedentes damnabuntur, quia super non credentes manet ira Dei *Job. III. 26.*

XLIIIX.

ε. Si fidem infantibus derogamus, sequitur ἀνακολληθεία illa, nullos infantes esse baptizandos: Quicumque enim nihil lucrantur ex Sacramento baptismi, illis etiam concedendum non est, ne margaritæ porcis & sanctum canibus detur: Atqui infantes nihil lucrantur ex Sacramento Baptismi, quia Sacramentum sine fide accipientibus, ut Calvinus ipse testis in *Instit. lib. IV. cap. 14 §. 4.* adeò non prodest, ut potius eis ad interitum cedat. E. infantibus Sacramentum Baptismi concedendum non est.

XLIX.

ζ. Sequitur prætereà, quod Baptismus sit inanis obsignatio vel confirmatio non entis. Nam obsignare dicitur justitiam fidei & regenerationem, quæ nunquam est absq; fide. Hac igitur infantes si destituantur, tunc id, quod nondum est, obsignabitur, cum tamen non entis nullæ sint affectiones.

L.

η. Nec minùs ἀσύνητος ratio est, qua infantium fides obtinetur,

tur, ipse justificationis actus. Ab hoc nullo pacto infantes baptizatos excludere possunt Adversarii. Nam etiamsi infantes ante Baptismum emorientes damnent omnes, & in Ecclesia, & extra Ecclesiam natos. *Bellarmin. lib. VI. de statu peccati c. I. 2.3. Colloq. Ratisb. in fine sess. 1.* Baptizatos tamen justificari statuunt. *Becan. lib. II. c. 2. de fide infant. Musc. in locis p. 520.* Si igitur justificantur, omninò fide justificabuntur, quia nemo servatur nisi interveniente fide. *Beza Vol. I. f. l. 17. Ursin. p. 423. Zanch. in conf. pag. 290.*

L I.

¶ Tandem è *Φαυση* est, ipsos Adversarios concedere, quod infantibus baptizatis Spiritus S. gratiosè inhabitet, (quoad speciem, non quoad individua, id est, iis, qui sunt electi. Et hoc ideò statuunt, ne cogatur admittere universalem infantium regenerationem.) Concedentes itaque gratiosam Spiritus S. inhabitationem nullo modo fidem infantibus baptizatis detrahere possunt, sed necessariò coguntur concedere, eos quoque credere: Si quidem Spiritus S. gratiosè inhabitans est causa efficiens fidei. Unde etiam Fort. Crellius forsan sui ipsius immemor, in part. I. Log. in doctrina de postpræd. sic scribit: Spiritus Sanctus & fides viva convertuntur. In quo Spiritus sanctus est, is fide vivâ præditus est: & qui fide vivâ præditus est, is Spiritum sanctum habet.

L II.

III. Exemplorum suffragiis, sine quibus ut nihil rectè docetur aut discitur: ita non minùs, quam fundamenta doctrinam de infantium fide *αὐτοπιστον καὶ ἀναπόδεικτον* reddunt.

L III.

Exempla partim ex codice Veteris: partim Novi Testamenti depromuntur.

L IV.

In Veteri Testamento habemus puerulos octavo die circumcisos, in quibus omninò præsupponitur fides, nisi quis velit de eorum salute dubitare; cui verò illud reclamationat: Ego ero Deus tuus & seminis tui post te. *Gen. XVII. 7. 8.* quam promissionem Christus ipse de salute æternâ interpretatur. *Matth. XXII. 32.*

L V.

Exemplum illustre capimus de Davide, qui à teneris statim unguicu-

3.  
Exemplorum suffragiis.

guiculis spem suam in Deum collocavit. Unde *Psal. XXII. 10. 11. 12.*  
Tu es, qui extraxisti me de ventre: Spes mea ab UBERIBUS matris  
meae. In te projectus sum ex utero matris meae, Deus meus est tu.  
Idem repetit *Psalmo LXXI. 4. 5. 6.* Et haec spes est talis SPES, quae  
necessario praesupponit fidem in Christum, qua non praesupposita,  
corrumpit SPES, quae alias ne ullam quidem patitur confusionem.  
*Rom. IX. 33. cap. X. 11. I. Pet. II. 6.*

LVI.

Item de Propheta Jeremia, quem Dominus sanctificavit, an-  
tequam exiret de vulva *Jerem. I. 5.*

LVII.

In Novo Testamento Christus ipse, qui est verus καρδιονό-  
μος, infantem apportatos credidisse affirmavit, & illorum fidei à scan-  
dalo diligentissime cavere iussit. *Matth. XVIII. 3.*

LIX.

Inter exempla N. Testam. referimus Johannem Baptistam, qui  
in utero matris credidit: sic enim Angelus Gabriel: Spiritu sancto  
replebitur adhuc ex utero matris suae *Luc. I. 16.* Et mox subjungit  
Elisabeth: Ecce, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis,  
exultavit in gaudio infans in utero meo. *v. 41.*

LIX.

Extant IV. pro confirmandâ fide infantum, Patrum praecela-  
rissima testimonia, quorum non postremum illud Augustini in E-  
pist. 29. ad Bonifacium Episcopum scribentis: Itaque parvulum etsi  
non fides illa, quae in credentium voluntate consistit, jam tamen  
ipsius fidei Sacramentum (id est, Baptismus) fidelem facit. Idem  
de peccat. meritis *lib. I. c. 33.* Ubi ergo parvulos ponimus baptiza-  
tos nisi inter fideles? &c. *c. 25.* Parvuli per Sacramentum, quod ad  
hoc divinitus institutum est, in credentium numerum transeunt.

LX.

A Patrum testimoniis non tam absona, quam congrua sunt  
testimonia Orthodoxorum, cum primis Lutheri, qui haec com-  
memorabilia verba in lib. contra armatum virum Cochlaeum reliquit:  
Non negamus parvulos esse baptizandos, nec asserimus eos Bap-  
tismum accipere sine fide; sed dicimus ad Baptismum eos credere per  
vim verbi &c.

B 3

Cum

4.  
Patrum &  
omnium Or-  
thodoxorum  
testimoniis.

## LXI.

Cum Luthero consentit Heerbrandus in Epit. Comp. Theol. cap. de Baptismo infant. Etsi, inquit, quomodo credant infantes, scire non possumus; tamen fidem eos habere certum est, Christo affirmante, testimoniumq; illis perhibente. Sicut Spiritus Sanctus pronunciat, pusillos corvorum Deum invocare. Et Paulus omnem creaturam ingemiscere testatur. Item Chemn. in 2. part. Exam. Trident. sess. 7. Can. 13. de Baptismo. Leonard. Hütterus in comp. Theol. c. 20. de Baptis. quest. 11.

## LXII.

ANTIΘΕ-  
ΣΙΣ Adver-  
sariorum e-  
jusq; ἀνα-  
στροφή.

Hic subsistunt Adversarii, atque nostram Scripturæ sacræ ora- culis evictam, fundamentis fultam, exemplorum suffragiis confir- matam, & Patrum, Orthodoxorumq; testimoniis illustratam sen- tentiam multis verborum lenociniis destruere sudant.

## LXIII.

Et primò quidem Becanus & Beza ad dictum Christi. *Matth. XVIII. 5. 6. Marc. IX. 42.* regerunt: Eum non loqui de infanti- bus, sed grandioribus. Becani verba sic sonant: Per pusillos Chri- stus non intelligit infantes, sed grandiores pueros, ut ex contextu manifestum est. (1) quia vocavit illos ad se, & vocati accesserunt: Advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum. (2) quia erant capaces scandali. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis. Neutrum convenit infantibus.

## LXIV.

Sed facilis est destructu hæc Becani malè fulta objectio (1) di- minutivo παιδῶν, quo Evangelistæ constanter utuntur, id sanè ad grandiores pueros arctari nequit, nisi quis ex apibus Elephantes fa- cere discupiat. *Luc. XVIII. 17. Matth. XIX. 13. Marc. X. 13.*

## LXV.

(2) Ex circumstantiis, quæ graphicè depingunt, Christum loqui de pueris: Marcus enim IX. 36. refert, quod Salvator infan- tes levatos amplexus fuerit. *Lucas XVIII. 15.* inquit, quod non ipsi tantùm accesserint, sed ab aliis adducti fuerint. Idq; satis enucleat textus græcus: προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, apportabant ei verò in ulnis, scilicet præ infantia teneritudine infantes tam ra- rionis usu, quam loquela adhuc carentes, & ab uberibus matris pen- dentes. Nec

## LXVI.

Nec ullo successu urgetur; quos Christus advocavit, fuisse capaces scandali, E. etiam adultos: Vox *σκανδαλίζειν* enim significat injuriam alicui inferre, & malo exemplo saltem in oculos vel aures incurrente prælucere, sive cum judicio imiteris, seu minus. Interp. Chrysoft. Euthymio, Thoma Maldonato.

## LXVII.

Ac si quispiam huic significationi præter spem locum non daret, eamq; repudiare vellet, adessent ipsa verba Christi, quæ non infantes, verum adultos, à quibus infantes seu parvuli isti adducti fuerant, scandali arguunt, eosq; jubent, ut videlicet sibi caveant à scandalo pueris dando. Ex oppositione enim horum subjectorum apparet subjectum passum seu habile, ut patiat scandalum, esse infantes à senioribus Christo adductos.

## LXVIII.

Eodem fermè modò instat contra allegatum dictum Beza, dum Christum de parvulis non infantilis ætatis, sed sinceræ sanctitatis habitâ ratione, ideoq; de adultis fidelibus, quos etiam parvulos nominet *Matth. XI. 25.* agere pronunciat, atque sic *ἀτέχνως* hinc infantes credere putat argui.

## LXIX.

Verum hæc glossa quomodo probabitur? fortè non nisi per technas, sibi suisq; perusitatas. Quid si Discipuli (non tamen aliis exclusis fidelibus) illi ipsi fuerint parvuli, de quibus potissimum Christus *Matth. XI. 26.* suo Patri gratias egerat: Num igitur unum ex illis, vel etiam quemvis alium fidelem adultum, arreptum in medio illorum statuit, in ulnas suscepit, & reliquis imitandum proposuit Servator?.

## LXX.

Enimverò tanta est textus emphasis & perspicuitas, ut vel ipse nolens concesserit, ætate puerum à Christo fuisse adductum: sed grandiusculum, addendo, nec triennem aut quadriennem duntaxat, ut nimis quoque confidenter divinat D. Andreas, sed qui jam inter auditores Christi versaretur, & pro suo modulò docentem intelligeret & affectaretur, pueritiâ videlicet mediâ inter infantiam & adolescentiam.

Sed

## LXXI.

Sed quod Plato in Timæo rectè monet: Ἐὐ καὶ πάλα λέγε-  
ται τὸ πρᾶττειν καὶ γινῶναι τὰ τε αὐτῶ, καὶ ἑαυτὸν σώφροσι μόνον  
προσθήκειν, idipsum & Beza sibi dictum esse putet.

## LXXII.

Certè nimis quoque confidenter hîc divinat, cum multò mi-  
nùs textus apicem vel literam unicam pro opinione suâ monstret.  
Minimè liquet, uti vult ex verbo παιδοαλιζειν, quasi illud in infan-  
tiam & primam illam pueritiam non cadat: contrarium enim proli-  
dolor indubia rerum magistra docet experientia.

## LXXIII.

Et si vel maximè grandiusculus ille puër fuerit: non tamen  
est, cur in ejusmodi puero præ aliis infantibus, hoc in negotio, ra-  
tionis seu intellectus beneficium prædicet.

## LXXIV.

Tamen enim, ut à D. Andrea ipsi Bezae responsum fuit, Colloq.  
Momp. 105. in rebus spiritualiter nihil intelligunt pueri illi quatuor  
aut quinque annorum, aut etiam plurium, quam infans in cunis ja-  
cens. Neque ratio aut intellectus humanus juvat nos in fide con-  
sequenda: quin adulti eum captivum ducere jubentur, ut fidem vel  
acquirant, vel eam retineant, quæ Spiritus S. liberrimū donum est.

## LXXV.

Verumenimverò divinatione, quæ malitiosè nostratibus tri-  
buitur, quid opus, tam in eo, cujusmodi per παιδίον puerum intel-  
ligamus, quàm de quibus Christus postea, quòd credant, enun-  
ciaverit?

## LXXVI.

Præterquam enim quod utrumq; ex omnibus aliis totius capi-  
tis *Matth. XVIII.* circumstantiis paulò diligentius observatis est  
liquidissimum: vel exinde sua luce claret maximè, quòd Christus  
illam concionis partem, quam ibi de pueris habet, inter quos sanè  
ille tum in medio constitutus vel imprimis referendus, *Luc. XII.*  
ad infantes, quos Evangelista τὰ βρέφη vocat, v. 15. apertè trans-  
tulit illa videlicet verba: Amen dico vobis, quicumque non acce-  
perit regnum Dei, velut puer, non intrabit in illud v. 17.

Insu-



## LXXVII.

Insuper quos modò τὰ βρέφη Lucas appellaverat, statim & παιδία unà cum *Matthæo XIX. 13.* & *Marco X. 13.* indifferenter nominat: adeò ut non sit, cur Beza in evolutione vocis παιδία hoc in loco tantùm operæ perdat & olei.

## LXXVIII.

Atque jam nihil refert, sive Christus illum in medio constitutum puerum, æquè ac hos allatos, inter brachia receperit, & ut βρέφη gestaverit, (quod tamen græca vox ἐναγκαλισάμενος, vel ipso Camerario teste, satis indicat) sive quod Beza divinando sibi præ reliquis videtur assecutus, advocatum benevolè tantùm & paternè amplexatus, (quidni utrumque simul factum) sit: illud jam modo nobis sufficit, contra Theologos sive Technologos modò dictos, quod τὰ παιδία, quæ & βρέφη, infantes vel ab uberibus matris adhuc pendentes, nominantur à Spiritu sancto, Servatorem in se credentes proclamasse, certò scimus certius.

## LXXIX.

Secundò. Verba *Matthæi XIX. 13.* Sinite PARVULOS ad me venire, & nolite eos prohibere, talium enim est regnum cœlorum, ita eludunt quidam, Salvatorem non dicere, quod regnum cœlorum sit puerorum, sed eorum, qui pueris similes sint.

## LXXX.

Hic respondemus, quòd omninò ad pueros sive infantes regnum cœlorum pertineat. (a) quia præceptum est, ut etiam infantes circumciderentur. Fuit autem circumcisio signum promissæ gratiæ, & promissi seminis, in quo benedicendæ sunt omnes gentes. Et Paulus circumcisionem vocat signum justitiæ *Rom. IV. 11.* *Gen. XVII. 8.* scriptum est: Ero Deus eorum. Item 14. Masculus, cujus præputii caro non fuerit circumcisa, delebitur anima illa de populo suo.

## LXXXI.

Quid hæ sententiæ aliud sunt, quam promissiones gratiæ? nam cum ait: Ero Deus eorum, significat, se velle misereri & servare eos. Et postea cum minatur iis, qui non circumciduntur, certè testatur, se circumcisos in gratiam recipere, non circumcisos non recipere.

C

recipe-

recipere, ut circumcisio pro vero ac certo signo aut medio gratiæ habeatur.

LXXXII.

Unde jam facile colligere licet, quod promissio gratiæ & vitæ æternæ, seu regnum cœlorum etiam pertineat ad infantes. Etenim si circumcisio, quæ est signum gratiæ, ad infantes pertineat, necessum est etiam gratiam & regnum cœlorum ad infantes pertinere.

LXXXIII.

(β) Quia Christus jubet parvulos ad se adferre, quare necesse est ad eos etiam gratiam pertinere, alioqui non erant adferendi ad Christum, sed abjiciendi inter inimicos DEI. Item, ut maxime Christi verba non de parvulis interpretemur, sed de his, qui illorum sunt similes, apparet tamen eum adprobare & recipere parvulos, alioqui enim neque eos probaret, qui illorum evasissent similes. Postremo Marcus inquit: Benedicebat eis, quod accipi non potest aliter, nisi quod receperit eos in gratiam, quod commendaverit eos patri sanctificandos &c.

LXXXIV.

Tertiò Adversarii contra datum exemplum Johannis Baptistæ in utero matris credentis, velut Gorgonis caput objectant, fuisse aliquod singulare, quod non regulam generalem faciat. Sic enim Becanus, ut aliis supersedeam, inquit. lib. 2. Man. de fide inf. Sicuti non sequitur: Asina Balaam locuta est: E. omnes asinæ loquuntur; ita non sequitur: Johannes Baptista credidit in Christum. E. omnes infantes credunt in Christum. Deinde Scriptura non dicit: Johannem credidisse, sed exultasse.

LXXXV.

Verum enim verò argutiæ istæ etsi primò quidem ad spectu speciosæ videntur; labore tamen non adeò multo expediuntur. Etenim fuisse exemplum singulare etiam nostrates complicant, singularitas autem non consistit in fidei collatione, quam communem cum infantibus aliis habuit Johannes Baptista: sed in eo, quòd Spiritus Sancti fidei & repletionis signa NOBIS HOMINIBUS conspicua sese exeruerint in Johanne adhuc in utero matris constituto.

LXXXVI.

Instantia de asina Balaam, qua Becanus suum suorumque as-  
secla-

seclorum errorem palliare, vel potiùs mentem suam illustrare studet, minùs quam nihil ad rhombum facit: ab asina Balaam ad cæteras qui concluderit, omninò funiculum ex arena malè coherente necit, quia de his nullum habemus testimonium vel divinum, vel humanum, quod ante vel post asinam Balaam locutæ fuerint, aut loqui possint. Sed Johannis Baptistæ & infantium longè alia est ratio, dum ab illo ad hos, quod videlicet ante perceptum Baptismum credere possint, & ad actum Baptismi credant, progredi & argumentari jubent tam scripturæ sacræ oracula & fundamenta, quàm exempla Patrum, Orthodoxorumq; testimonia. Si enim in Johanne adhuc in utero concluso extraordinariè fidem accenderit SS. cur non in cæteris infantibus illud agat ordinariè per Baptismum, qui est lavacrum regenerationis *Tit. III. 5.* De habilitate enim subjecti ad admittendam divinam gratiam quæstio est. Quæ habilitas exemplo Johannis rectè demonstratur, non modus communis, quo singulis infantibus fides actu secundo confertur.

#### LXXXVII.

Quòd præterea Scripturæ sacræ silentium urget de Fide Johannis Baptistæ, nos non ferit: Scriptura enim nonnulla implicitè, nonnulla explicitè docet. Sic etiamsi non explicitè dicit, Johannem credidisse, implicitè tamen facit. Id quod planum ac manifestum est ex voce græcâ *σκιεταῖν*, quæ non simplicem, sed agilem motum denotat, qualem in saltantibus habemus.

#### LXXXIIX.

*Σκίετησις* hæc fuit effectus (1) inhabitantis Spiritus Sancti, de quo Angelus prædixerat, *Luc. I. 15.* Eò alludit Hunnius: Exultavit, inquit, propter præsentiam Messia. Factum autem id est ex singulari Spiritus sancti operatione. Et D. Augustinus *Epist. 57. Quæst. 2.* Hæc exultatio & tanquam matri Domini reddita resalutatio, facta est divinitùs, non humanitùs in infante. (2) Messia agniti, de quo iterum D. Augustinus: Reclusus ventre miles agnovit Regem ac Dominum. Cujus igitur exultatio est effectus inhabitantis Spiritus Sancti & agnitio Messia, is omninò credat oportet, quia in nemine nisi in credentibus Spiritus Sanctus inhabitat *Eph. I. 13.* Nulli quoque Messia agnitio obtingit, nisi qui sanctificatus

ratus fuerit. Ibidem v. 17. Adde, quod in nullo fructus fidei, utpote gaudium spirituale &c. apparent, nisi qui habeat veram & salvificam fidem. *Gal. V. 23. & seqq.* Sed verum est prius de Johanne Baptista. E. & posterius.

LXXXIX.

Quartò Bucanus p. 302. *Piscator disput. de fide tb. 31. Beza. Vol. 3. f. 345. Bellarm. lib. 1. c. II. p. 73.* Urgent illud Apostoli. *Rom. X. v. ult.* Fides est ex auditu verbi, jam autem infantes non audiunt verbum Dei. E. non sunt capaces fidei. Sed facillimo hoc argumentum solvitur negotio.

XC.

(1) Verisimile est, immò ipse Calvinus Calvinianorum Coriphæus fatetur, majorem agere de modo, qui adultis ad fidem consequendam est præscriptus: ita enim sonant verba ejus *lib. IV. Instit. c. 16. §. 18.* At fides, inquiunt, per auditum, cujus nondum usum adepti sunt, nec DEO cognoscendo pares esse queunt, quos boni simul & mali notitia destitutos docet. Verùm non animadvertunt, Apostolum, cum auditum fidei principium facit, ordinariam tantùm Domini Oeconomiam & dispositionem, quam tenere in vocandis suis solet, describere: non autem perpetuam regulam præstituere, ne aliâ uti ratione posset. Quomodo certè in multorum vocatione usus est, quos interiore modo, Spiritus illuminatione, nulla intercedente prædicatione, verâ sui cognitione donavit.

XC I.

(2) Quod minorem concernit, hæc agit de infantibus ad modum ordinarium non alligatis. Unde argumentum quatuor terminorum coagmentatione laborat. & planè ἀσυνλόγιστον est.

XC II.

(3) Notus est canon ille logicus: In secunda figura propositio semper sit universalis aut propria, nunquam particularis, Hoc loco autem non potest esse universalis.

XC III.

Fidem enim non solùm ordinariè per verbi divini auditum, sed etiam per baptismum conferri posse, vel inde constat, quia per  
Bapti-

Baptismum regeneramur, tanquam per lavacrum regenerationis. Quemadmodum igitur Deus in adultis regenerandis fidem per verbi prædicationem excitat *Rom. X. 17.* Ita ipsi placuit adhibere in infantibus regenerandis baptisma, quod est λῶτρον illud ὕδατος ἐν εἴματι, quo Ecclesiam suam mundat. *Eph. I. 27. Tit. III. 5.* & sacramentum regenerationis, quæ absque fide esse nequit *I. Job. V. 14.* Ac proinde cum major sit particularis, sequitur constare hoc argumentum ex puris particularibus, ex quibus nihil legitimè concluditur.

#### XCIV.

Quintò *Bellarmin. l. 1. de baptism. c. XI. Corn. à Lapide in b. l. Calv. l. 4. Institut. c. 16. §. 19. Beza resp. 2. ad acta Momp. p. 99. Zepp. de Sacram. lib. 3. cap. 8.* & Schismatici alii fidem infantibus derogaturi, inter alia etiam ad stabiliendum errorem citare solent dictum *Jona IV. 11.* Et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plus, quam centum viginti millia hominum, qui partim ætate, partim simplicitate nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam. Vel verba *Mosis Deut. I. 39.* Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, & filii, qui hodie boni & mali ignorant distantiam, ipsi ingrediuntur, & ipsis dabo terram &c. Ex his sic inferunt:

#### XCIV.

Fides includit notitiam. Sed Infantes carent notitia, siquidem non norunt discrimen inter dextram & sinistram. E. Infantes carent fide. Cornelius à Lapide hæc addit: Si haberent fidem, discernere inter bonum & malum: Fides enim discernit virtutes à vitiis, æterna à temporalibus, Deum à creaturis. Verùm ex sententia hujus erroris facile nos expeditos damus ampliando majorem & minorem.

#### XCVI.

1. Fides includit notitiam supernaturali modo à Spiritu Sancto per verbum accensam, quæ etiam in infantibus excitatur elemento aquæ in baptismo vestito: quemadmodum olim circumcisio erat signaculum justitiæ fidei. *Rom. IV. 11.* quid vero ad rem facit, quod infantibus dematur notitia rerum mundanarum naturalis?

ralis? Infantes habere posse fidem, luculentissimè probavit exem-  
plum Johannis Baptistæ *Luc. I. 15. 41. Jeremie I. 5.* Eam certè habe-  
re, satis superq; evicerunt Scripturæ Dicta, Fundamenta, Exempla  
Patrum, Orthodoxorumque testimonia. Quid? quòd ratio hu-  
mana, qua talis, ob cuius defectum aliquem, quod ad actum secun-  
dum, fidem illis potissimùm concedere volunt adversarii, non tam  
juvet, quam impediat fidem *I. Cor. II. 14. II. Corinth. III. 5. X. 5.*  
*Matth. XVI. 17. Rom. VIII.* Si verò propterea fidem præcidunt  
infantibus, quia ipsi non intelligunt, quomodo in infantibus queat  
esse fides, cum non præcedat verbi divini auditus, ut in adultis; ne-  
gent eadem ratione reliquos omnes fidei articulos; negent creatu-  
ram ingemiscere *Rom. VIII. 22. invocare. Hof. II. 12. audire E-*  
*saie I. 2.* Sed brevius. Infantes non habent fidem ex verbo solo. E.  
neque ex verbo, ad quod accedit Elementum. Non habent notitiam  
naturalem. E. nullam, vitiosè & malè colligi tam liquidum ap-  
paret,

Cum sudum est, solis quàm radii esse solent.

XCVII.

2. Nihilominus verò hæc fides infantium, ut Cornelio à La-  
pide satisfaciamus, vocatur actualis, non respectu operationum ex-  
ternarum, sed internarum & fidei propriarum, qualis est appre-  
hensio Christi cum suo merito, qui venit salvare, quodcunque perie-  
rat. *Matth. XVIII. 11.* Solus enim est *ἡμεῖς* noster *Hebr. V. 7.*  
*I. Job. II. 1. ἡγὼ μείστης* Unicus *I. Tim. II. 5.*

XCIIIX.

Sextò Tannerus in Colloquio Ratisb. sess. 12. negat infantes  
credere, quia adultiores seu in ætate adulta non recordentur suæ e-  
jusmodi fidei. Sed ineptum & puerile hoc argumentum est, id  
quod patet ex sequentibus. Quemadmodum enim quispiam po-  
test esse baptizatus, etiamsi sui Baptismi non recordetur; parili ra-  
tione infantes credere possunt, etiamsi postmodum in ætate adulta  
suæ ejusmodi fidei non recordentur. Dn. D. Hunnius beatæ me-  
moræ provocat ad exemplum Johannis Baptistæ, qui in utero no-  
vit ipsum individuum, id est, Christum in utero matris adhuc exi-  
stentem. Deinde verò cum adoleverat, tametsi fides in Christum  
ini-

ini-

in ipſo manebat, tamen individuam perſonam haud perinde ſibi  
amplius notam fuiſſe teſtatur ipſemet *Job. I.*

Committit itaque Tannerus fallaciam *ὅσα τὸ μὴ ὡς αἰ-  
νον*, vel *ἀναίτιον*. Dum recordationem in adulta ætate pro indu-  
bitata fidei nota ponit, quæ tamen nota non eſt.

### XCIX.

Septimò pluſquam nugatoria eſt etiam cavillatio, quando  
Adverſarii ex *Pſal. CXVI. 1.* colligunt fidem operari confessionem,  
juxta illud Davidis: Credidi propter quod locutus ſum. Et illud  
Apoſtoli *Rom. X. 10.* Corde creditur ad juſtitiam: ore fit confefſio  
ad ſalutem. Jam autem infantes carent confessione. E. etiam fide.

Sed hoc levis armaturæ ſpiculum facilè retorquemus, diſtin-  
guendo videlicet inter confessionem, quæ fit coram hominibus, ea  
omninò in adultis credentibus requiritur: Et confessionem, quæ  
fit coram ſolo Deo, licet hominum auribus non percipiatur, qualis  
occurrit in infantibus juxta *Pſalm. VIII.* Allegata verò dicta inclu-  
dere confessionem coram hominibus, clarius eſt, quam ut proba-  
tione indigeat ulla. Confefſio autem laudis, quæ & infantibus  
modo imperſcrutabili tribuitur, longè eſt alia; hinc quatuor con-  
ſurgunt termini.

### C.

Octavò objeiciunt Adverſarii, ſi infantes credant, tot fieri mi-  
racula, quot baptizentur infantes.

Reſp. Negari minimè poteſt, quoties infans regene-  
randus ad fontem baptiſmi adportatur, toties fieri in Eccleſia rem  
admirabilem, omnemq; captum humanæ rationis transcenden-  
tem. Quod nec ipſe Beza negare auſus fuit part. 1. reſponſ. ad act.  
pag. 103. ſic ſcribens: Sufficit illis admirabile quidem & abditum,  
ac inſcrutabile, tamen certiffimum illud ſancti Spiritus in ipſis opus  
merè paſſivum. Quocirca etiam adverſarii effato, mira omninò  
& ſupernaturalis eſt actio DEI in baptizatis infantibus. Interim  
quòd extraordinariè fit mirabilis, haut concedimus; hunc enim  
ordinem Deus ſancivit, ut infantes per baptiſmum tanquam ſaluta-  
re organum fide donentur & regenerentur. Quicquid autem fit  
lege ordinariâ, id non ſolet dici miraculoſum.

Nondò

Nonò Bellarminus lib. I. c. II. sic colligit: Fides non potest oriri in mente, nisi ex divina revelatione, quæ fit vel immediatè, vel per organum prædicati verbi. Neutra habet locum in infantibus, ideoq; fide non sunt præditi, neque potest asseri, quòd per baptismum fides accendatur: aqua enim non est medium accommodatum, per quod revelentur divina mysteria.

Resp. 1. Instantiæ loco accersimus exempla lactentium puerorum, & à Christo commendatorum. 2. Fides parvulis confertur non immediatè, sed mediante baptismo. Ludit autem Bellarminus in vocabulo fidei, quod ipsi est tantùm actualis mysteriorum cognitio, cum nobis potius sit fiducialis Christi apprehensio: hanc per baptismum accendi dicimus, quia per illum regenerantur infantes, nulla autem sine fide fit regeneratio.

*1661. 20. lege per Baptis-mo Bapti-smo. Cetera, si qua sunt, errata leviora pro tuo candore ipsemet corriges.*

### Ad Dn. M. Respondentem.

**Q**uem juvat assiduò pectus coluisse per artes;  
 Hunc tandem laudes, præmia digna manent.  
 Indicat hoc tua laus, honor ac effata virorum,  
 Artes qui juvenum pectora plura docent:  
 Scilicet ipsa cohors Musarum digna secunda  
 Præmia donavit, non moritura, tibi.  
 Mox Patriæ placuit tua, quam peperit tibi cura,  
 Doctrina, ac jussit visere chara loca;  
 Ut teneras mentes tua sedula cura juventa  
 Formet, ne studiis semper, ut ante, vacent.  
 Hoc onus Atlantis subiisti docte Magister,  
 Pro quo JOVA tibi munera plura dabit.  
 Alta tamen tua mens hos inter mille labores  
 Rimari satagit dogmata sacra Dei.  
 Gratulor hanc mentem; tua dum te mancipat ætas  
 Theologia. Pergas. Plurima dona feres.

THOMAS WERCKNEBUS Jätrel